

Band V., Nr. 1302, Seite 67-69

Zwischen dem Kloster Maulbronn und Ritter Berthold Strubecho wird eine Reihe von Streitigkeiten hinsichtlich der Rechtsverhältnisse in Weissach durch ein von beiden Parteien gewähltes Schiedsgericht entschieden.

Zwischen Burg Enzberg und Eutingen, 1254. Juli 1.

Pateat^a universis tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis, quod totius controversie altercatio, que inter venerabilem . . . abbatem et conventum monasterii de Mulnbrunnen ex una parte ac Bertoldum militem dictum Strubechen ex altera vertebatur super quibusdam simultatibus et querelis habitis inter eos, videlicet quod idem B. ad eum asseruit pertinere ius instituendi heimburgen et habendi tabernam in villa Wizach cum aliis quibusdam exceptionibus atque iuribus universis, que predictus B. Strubecho in eadem villa se contendebat, habere, mediantibus viris discretis, providis et honestis, videlicet domino G. comite de Calwe, nobilibus Rüdolfo et Ottone de Rossewac, H. seniore de Enzeberg, Alberto milite dicto Trosceller, Emehardo sculteto de Phorzeim, Diethero, Erlwino dicto Liebener, Alberto dicto Weise, Hugone, Heinricho de Vehingen, civibus de Phorzeim, in hunc modum funditus est sopita, videlicet quod hii omnes mediatores eo quod in eos ex consensu parcium fuerat compromissum eorum diffinitioni stare, per sacramentum fidei et baptismatis, quod susceperant, sententiando pronunciabant, quod antedictus B. Strubecho nullum ius dominii, advocatie, nec angarias nec parangarias, nec exactiones, forefacta, servitia sive consuetudines alias serviendi, quocumque nomine censerentur, haberet in villa Wizach, sive in bonis ad eam pertinentibus universis, excepto quod ius patronatus ecclesie ad suam collationem spectaret et quod in ipsa neque turrim nec munitionem aliquam deberent construere rustici memorate ville de Wizach, nisi prius ad hoc faciendum advocatus ecclesie et plebanus consentaneas exprimerent voluntates, ita tamen, quod rusticos non deberent aliquatenus impedire, quin pro necessitate possent in eadem ecclesia et cimiterio res eorum et corpora conservare. Item quod in molendino eiusdem B. deberent molare rustici de Wizach, a predictis mediatoribus fideliter est statutum, ita sane, quod si forte ipsis rusticis dampnum aliquod vel iniusticia illata fieret quoquomodo, eidem B. primo ostenderent et si non dignam emendam reciperent ab eodem, ex tunc ubicumque vellent molandi haberent liberam facultatem. Si vero ipsis satisfaceret tempore procedente, iterato deberent molare in molendino

^aDas P verziert.

superius nominato. Item sub eiusdem diffinitionis forma illud etiam fuerat comprehensum, quod sepe dictus Ber. Strubecho de hominibus, quos in villa Wizach tytulo feodali, pignoris vel proprietatis ad presens vel in posterum possideret, deberet debita servitia recipere ratione domini salvo tamen iure Mulinbrunnensis ecclesie ac advocati ville in omnibus existente. De hominibus vero advenis, qui gratia commorandi iam venerunt vel venient in futurum in villam Wizach et quos ad se idem B. asseruit pertinere, modo simili sententiando fuerat diffinitum, quod omnes homines cuiuscumque conditionis essent pariter vel etatis, qui se in villam Wizach locarent et quibus non esset certus dominus, deberent sicut ceteri villani advocato ville in iure debito respondere nec aliquam super ipsos predictum Strubechen iurisdictionem habere. Item super eo, quod sepe dictus B. Strubecho quosdam agros, qui in mansos rusticorum mensi fuerant, occuparat, qui et in silvam redacti sunt, fuit per mediatores nominatos discussionis examine patefactum concorditer et statutum, quod unusquisque rusticorum, ad quem pertinerent dicti agri, deberet uno pede posito super agrum cum duabus personis probabilibus, quas ad hoc duceret assumendas, iuramento possessionem suam hereditariam optinere. Item quoniam super pascuis villarum, videlicet de Wizach, de Bonlanden et de Kaphenhart, iam dudum a partibus questio vertebatur, ad litem funditus dirimendam per sententiam mediatorum dictorum taliter est decisa, quod hee omnes tres ville communiter uti debeant pascuis sine dampno, sicut ab antiquo dicti mediatores illud etiam iuris esse a melioribus illis qui dicuntur kuntschapt concorditer invenerunt, excepto quod illi de Wizach secare non debeant silvam illarum duarum villarum de Bonlanden et de Kaphenhart nec ipsi e converso faciant illud idem. Insuper etiam prelibati mediatores sententialiter statuerunt, quod illa compositio, que olim inter predictos abbatem et conventum de Mulinbrunnen ac eundem Ber. militem facta fuit in Phorzeim super reconciliatione Alberti militis dicti Kipfer ac cuiusdam servi, qui dicitur Iuvenis, sive aliorum omnium, que in questionem ibidem deducta fuerant et discretione provida conplanata, deberent rata haberi et inviolabiliter in perpetuum observari. Preterea promulgata huiusmodi definitiva sententia super singulis articulis iam expressis cum placeret partibus hinc et inde ac in ipsam unanimiter concordarent, dictus abbas et suus conventus de Mulinbrunnen de dampni satisfactione, quod occasione sepe dicti B. Strubechonis in villa Wizach ad viginti libras Hallensium estimabant, eidem B. simpliciter indulserunt sperantes, quod monasterio ipsorum posset per suum servitium refundere meliora. Dictus vero Strubecho omni renuntiavit etiam actioni, quam ipse vel sui legitimi successores haberent vel habere visissent aut essent in posterum habituri tacite vel expresse in villam de Wizach sive in monasterium de Mulinbrunnen, cum omnibus exceptionibus superius nominatis. Et tali modo per providentiam mediatorum pax est inter ipsos

III

et concordia reformata. Et ut hec firmiori certitudine fulcirentur, super hiis sunt conscripta tria instrumenta unum tenorem continentia, quorum unum dicto monasterio de Mulinbrunnen est traditum, alterum B. et suis heredibus est relictum, tertium vero ad evidentiores cautelam in claustro monachorum de Alba est ex consensu parcium conservatum, ac in testimonium evidentie plenioris sigillis Rûdolfi illustris marchionis de Baden, G. comitis de Calwe, Ottonis nobilis de Rossewac, abbatis de Mulinbrunnen, quo suum monasterium est contentum, H. senioris de Enzeberg et civitatis de Phorzeim sunt ipsa instrumenta fideliter roborata. Predictus vero Strubecho, quia sigillum proprium non habuit, contentus est sigillo domini sui illustris marchionis de Baden. Testes huius compositionis sunt: G. abbas de Mulinbrunnen, Cûnradus prior, Eggehardus maior cellerarius, Heinricus de Heidenheim¹, V̇lricus notarius, monachi, frater Symon, frater Bertoldus, conversi, Marquardus plebanus de Vptingen, H. et C. iuvenes de Enzeberg, Zeinerius, Heinricus et Bertoldus fratres germani dicti de Durlach, Hermannus scultetus de Wrnberg, Fridericus de Nieuern, et alii quam plures.

 Acta sunt hec inter castrum de Enzeberg et villam V̇tingen, anno domini millesimo CC^o. quinquagesimo quarto, in octava Iohannis baptiste.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Von den ehemals angehängten sechs Siegeln ist für das erste nur noch der durch die Urkunde geschlungene Pergamentstreifen, die anderen sind mehr oder weniger gut erhalten vorhanden: 2) Das runde Siegel des Grafen Gottfried von Calw, 43 mm (IV. A. 2): In einem nahezu dreieckigen Schild ein auf vier Bergspitzen stehender gekrönter Löwe; von der Umschrift noch erhalten: . . COMIT . . . FR . . . De . KAL . . . 3) Das schildförmige Siegel des Otto von Rosswag, am Rand sehr beschädigt (IV. A. 1): Eine fünfblättrige Rose; von der Umschrift noch erhalten: + . SIG . . . AC . 4) Das spitzovale Siegel des Abts von Maulbronn, 45,27 mm (III. A. 2. a): Der stehende Abt, in der Rechten den Stab, mit der Linken ein geschlossenes Buch vor die Brust haltend, Umschrift: + S ABBAS IN MVLEBRVNEN. 5) Das schildförmige Siegel Heinrichs von Enzberg, oben abgerundet (IV. A. 1): Ein Fingerring mit Stein; von der Umschrift erhalten: + SIGIL . . HE . . . 6) Das runde Siegel der Stadt Pforzheim, sehr beschädigt (II. B.): In einem Schild der badische Schrägbalken, von der Umschrift noch erhalten: + SIGI . . .

¹Vielleicht Heidelberg.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 502 U 242

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Zwischen Burg Enzberg und Eutingen

Ortsindex:

Bad Herrenalb Wohnplatz (6828)
 Bad Herrenalb, CW
 Bonlanden Wüstung (25469)
 Bonlanden, Weissach, BB, W
 Calw Wohnplatz (6981)
 Calw, CW
 Durlach Wohnplatz (5232)
 Durlach, Karlsruhe, KA
 Enzberg Wohnplatz (7061)
 Enzberg, Mühlacker, PF
 Eutingen Wohnplatz (6703)
 Eutingen, Pforzheim, PF
 Heidelberg Wohnplatz (5322)
 Heidelberg, Bruchsal, KA
 Innenstadt Wohnplatz (6718)
 Innenstadt, Pforzheim, PF
 Iptingen Wohnplatz (7113)
 Iptingen, Wiernsheim, PF
 Kapfenhardt Wüstung (25470)
 Kapfenhardt, Weissach, BB, W
 Maulbronn Wohnplatz (7043)
 Maulbronn, PF
 Niefern Wohnplatz (7091)
 Niefern, Niefern-Öschelbronn, PF
 Roßwag Wohnplatz (1126)
 Roßwag, Vaihingen an der Enz, LB
 Ruine Hohenbaden (Altes Schloss) : Innenstadt, Baden-Baden BAD
 Ruine Hohenbaden (Altes Schloss) Wohnplatz (5203)
 Vaihingen an der Enz Wohnplatz (1130)
 Vaihingen an der Enz, LB
 Weissach Wohnplatz (275)
 Weissach, BB
 Wurmberg Wohnplatz (7121)
 Wurmberg, PF